

factionis est calor, et illuminationis est lumen, et ideo in concreto dici potest terminum esse calidum, vel esse illuminatum : ita ergo, si terminus illius præmotionis est esse aliquid ad quod causa est præmota, quærimus formam in abstracto, quæ dat illud esse, quæ sit formalis terminus proximus illius præmotionis, et tunc dicimus non posse esse nisi qualitatem, quia in nullo alio prædicamento cogitari potest. Et confirmatur ac declaratur in hunc modum, quia vel causa secunda est spiritualis, vel corporea : si spiritualis, mutari vel moveri non potest, nisi ad qualitatem, præsertim per mutationem extrinsecus illi advenientem. Et ita Ledesma ipse fatetur in voluntate et intellectu hoc auxilium efficax esse qualitatem, ut supra retuli artic. 6, concl. 3. Si vero causa sit corporalis, mutatio illa accidentalis est, et non est ad locum, nec ad quantitatem; ergo non potest esse nisi ad qualitatem, quia, juxta doctrinam Philosophi, ad alia prædicamenta accidentium non est per se motus, nec mutatio.

7. *An motio ipsa sit terminus per divinam operationem productus.*—Alii contenti sunt dicendo motionem ipsam esse terminum productum per solam divinam operationem, ut dixit Alvarez, disp. 19, in ration. 3, pro quinta conclusione. Sed non satisfacit, nam quæro an loquatur de operatione Dei ad extra, vel ad intra. Primum dici non potest, quia illa operatio ad extra non est nisi ipsa motio, neque motio, ut motio, potest esse intrinsecus terminus operationis transeuntis. Secundum autem non satisfacit, nam licet motio facta in causa secunda sit terminus vel effectus volitionis divinæ, quæ dicitur volitio ad intra, nihilominus externa illa motio, ut est via quædam, habere debet aliquem terminum per illam factum, ut probatum est. Et amplius declarari et confirmari potest exemplis; nam in omni alia quasi instrumentali præmotione, quam physice experimur, proprium terminum præmotionis distinctum ab effectu formali motionis invenimus et assignamus, ut in instrumentis artis, motus instrumenti est motus localis, qui semper habet suum proprium terminum, qui est ubi; et in visu, quatenus præmoveretur a colore ut videat, intelligimus aliquam qualitatem illi impressam, quæ est quasi semen et instrumentum objecti. Et in lapide dum projicitur, ante motum localem intelligimus impressionem impetus, tanquam præmotionem quamdam per quam imprimitur impetus, qui est quasi virtus instrumentaria projicientis; et inde

docent omnes philosophi impetum esse qualitatem, quia illa motio prævia aliquem intrinsecum terminum habere debet, qui non est ubi, quia illa impressio est ante motum localem, unde necessario concludendum, debere esse qualitatem, quia nihil aliud esse potest. Nec satisfacit philosophus respondendo terminum illius præmotionis esse hoc ipsum *esse præmotum*, vel esse fortiter pulsum; sed necesse est ut assignet formalem terminum, et formam proxime factam per fortem illum contactum, ut postea sit instrumentum localis motus rei projectæ. Sic ergo in præsentis, vel illa præmotio nulla est, vel certe in proximo ac intrinseco termino qualitatem aliquam esse necesse est.

8. *Diluuntur rationes quibus probatur hunc concursum prævium non esse qualitatem.*—*Ad primam.*—Secundo, principaliter potest hoc suaderi, quia rationes quibus alii contendunt hanc præmotionem non esse qualitatem, vel absolute probant non esse creatam entitatem, vel nihil probant contra qualitatem. Prima ratio ab inconvenienti, erat de processu in infinitum, quia si esset qualitas, indigeret alia præmotione ad agendum. At idem sequitur de quacumque entitate creata, quæ sit principium activum alterius actionis, nam illa indiget concursu Dei, ac subinde indigebit præmotione, quia est entitas potentialis, et non est suum dare esse, quæ sunt rationes propter quas dicitur qualitas creata indigere præmotione. Responderi solet concursum prævium requiri in omni principio proprio causæ secundæ, non in ipsa præmotione, quæ est instrumentum primæ causæ; quia sicut actio non indiget alia actione qua fiat, ita nec præmotio alia præmotione qua fiat, vel ad faciendum applicetur, quia applicando causam secundam applicat seipsam; vel dum est applicatio alterius, est etiam sui ipsius, sicut quantitas seipsa est quanta. Sed contra, sive hoc sit verum, sive falsum, habebit locum, etiamsi illa præmotio intrinsece terminetur ad qualitatem, quia illa qualitas dicitur esse quasi transiens, et omnino actualis, quæ per illummet actionem seu præmotionem, qua fit, applicatur etiam virtualiter ad operandum cum virtute causæ secundæ, vel applicando illam ad agendum, vel quippiam simile.

9. *Ad secundam rationem superius allatam.*—Et ita etiam ad secundum dicitur quod, licet hæc præmotio sit qualitas, non aliter complet vel applicat causam secundam ad agendum, quam si esset tantum motio; vel

e contrario, si ex necessitate talis qualitatis sequitur causam secundam carentem aliqua qualitate non esse simpliciter sufficientem ad agendum, idem certe sequitur si præmotio sit necessaria, et non detur, cujuscumque rationis vel entitatis fingatur esse talis præmotio, quia ut non sit simpliciter sufficiens, satis est quod aliquid necessarium ad agendum desit, et non habeatur neque haberi possit, quod argumentum sæpius in sequentibus urgebimus, præsertim in causis liberis. Nunc autem solum concludimus argumentum illud non magis probare prævium concursum non esse qualitatem, quam non esse aliquem veram entitatem. Inductio vero quæ ibi additur non est integra, nam licet probet istum concursum non esse habitum, neque passibilem qualitatem permanentem, non probat non esse quasi transeuntem qualitatem ad modum impulsus; vel certe si in aliqua causa secunda non creditur possibilis talis qualitas natura sua transiens, quæ non sit actus vitalis, ut in spiritualibus est probabile, multo erit impossibilior motio transiens sine ullo termino qui cum illa sit et transeat.

10. *Ad confirmationem.*—Ad confirmationem autem de concursu simultaneo, facile negabitur consequentia, quia concursus simultaneus est in genere actionis, habetque eundem terminum cum actione causæ secundæ. Concursus autem prævius est actio vel passio distincta ab actione causæ secundæ, et ideo suum terminum habere debet, qui non potest esse nisi qualitas. Et ita, supposito tali concursu prævio, multo probabilius est non consistere in pura motione vel præmotione, sed esse talem præmotionem quæ qualitatem aliquam causæ secundæ imprimat, quod ex dicendis magis confirmabitur.

CAPUT XXXIII.

UTRUM CONCURSUS PRÆVIUS CONSTITUAT CAUSAM SECUNDAM IN ACTU PRIMO, VEL COMPLEAT VIRTUTEM EJUS AD AGENDUM.

1. *Prima quæstio, an hic concursus prævius compleat in actu primo causam creatam.*—In hoc capite alia duo dubia de hoc concursu tractanda sunt, quæ ad totam hanc materiam intelligendam sunt imprimis necessaria. Primum, seu nonum in ordine, est an hic concursus prævius detur causæ secundæ ad constituendam illam, vel saltem complendam in

actu primo, vel potius per modum actus secundi, quod aliter interrogari solet, an ita detur ut teneat se ex parte causæ secundæ, ejusque virtutem compleat ad agendum, vel potius se teneat ex parte actus secundi, et sit quasi inchoatio ejus. In hoc enim puncto valde inter se dissentiunt defensores hujus influxus in causam.

2. *Prima opinio affirmat.*—Prima opinio est, hunc concursum tenere se ex parte causæ secundæ, eique dare complementum actus primi, seu virtutis agendi: ita tenet Cabrera dicta quæst. 18, art. 4, disp. 6, dub. 1, num. 59; et hanc sententiam tenet etiam Alvarez locis infra citandis, eamque defendere multos doctissimos Thomistas refert Ledesma, et ipse probabilem reputat, pluresque rationes in favorem ejus adducit, quæ non sunt distinctæ ab his quæ in cap. 27 ad persuadendum hunc concursum prævium adduximus. Fundamentum hujus sententiæ esse videtur, quia hic concursus prævius datur causæ secundæ in ordine ad actionem, et non est influxus in ipsam actionem causæ secundæ, ut supponitur; ergo est influxus in causam secundam, ut activa est, quia alias non daretur in ordine ad actionem; ergo datur illi ut qualitas vel motio activa, cum ad agendum detur; ergo datur per modum actus primi, quia omnis actus, qui non est ipsa actio vel terminus ejus, et ad agendum datur, est actus primus.

3. *Compleatur etiam in virtute agendi.*—Unde etiam concluditur per hunc concursum compleri causam secundam in virtute agendi; hæc enim motio non dat causæ secundæ totam virtutem proximam, seu intrinsecam activam in suo ordine, ut omnes supponunt, et late probat D. Thomas, 3 contra gent., c. 69 et 70; quæst. 7 de Potent., art. 7; nec etiam talis motio dat virtutem causæ secundæ ad agendum, alias superflue daretur, et non daretur illi ut qualitas activa; ergo datur ut formaliter conferat saltem complementum virtutis activæ. Et confirmatur ex alio fundamento illius sententiæ, quod causa secunda non habet virtutem principalem, etiam in ordine suo, ad dandum suo effectui esse existentiam, sed per hunc concursum prævium recipit virtutem instrumentariam Dei ad dandum esse existentiam effectui suo; ergo hæc motio constituit causam secundam in actu primo completo ad dandum esse existentiam, et quoad illam complet virtutem ejus. Tandem confirmatur ex D. Thoma, 3 contra gent., cap. 6, ration. 4, dicente: *Complementum virtutis*

agentis secundi esse ex virtute agentis primi, idemque sentit in dicto art. 7 de Potent.

4. *Altera opinio negans.*—*Probatur hæc opinio.*— Aliorum vero sententia est, hunc concursum prævium non esse qualitatem constituentem causam secundam in actu primo, sive dando totam virtutem agendi, sive complendo illam in actu primo consummato, sed solum esse instrumentariam virtutem Dei applicantis et moventis causam secundam ad agendum; hanc opinionem probabiliorem et fere certam esse judicat Ledesma supra, et in disp. de Elect. ad glor., dub. 2, § *Ad impugnationem*; imo addit eam tenere communiter discipulos D. Thomæ, et videtur sequi ex his quæ dicit Alvarez, disp. 19, in quarta et quinta probatione tertiæ conclusionis, quamvis idem auctor in eadem disputatione ad secundam confirmationem ejus, et in disp. 18, ad primum, et in disp. 21, num. 7, expresse fateatur hoc auxilium prævium, seu complementum virtutis operativæ actus primi; et non esse actionem causæ secundæ, nec formaliter nec realiter, sed aliquid prævium ad illam. Solum ergo contendit non esse qualitatem activam, seu constituentem, aut complementem actum primum. Probatur autem hæc sententia, primo, quia causæ secundæ habent virtutes completas activas suorum propriorum effectuum, ut ignis caloris, sol luminis, habitus charitatis sui actus, et sic de aliis; ergo non indigent complemento virtutis aut actus primi; non ergo ad hoc est necessarius concursus prævius. Secundo, quia superfluum est multiplicare tot qualitates activas, ad hoc ut causa secunda constituatur complete in actu primo. Tertio, quia alias causa secunda sic constituta in actu primo per illam qualitatem, indigeret alio concursu prævio, quo reduceretur de potentia in actum ad agendum; nam, ut ait divus Thomas 1. 2, quæst. 109, art. 1, quantumcumque causa secunda sit perfecta in actu primo, indiget motione primæ causæ, et ratio est, quia actus primus solum est in potentia ad actum secundum; ergo causa secunda completa per illam qualitatem, adhuc est tantum in potentia ad agendum; ergo indigebit alio prævio concursu, quo actualiter moveatur et applicetur ut agat, et sic vel procedetur in infinitum, vel sistendum est in ipso auxilio prævio, ut non detur ad complendam virtutem, sed tantum ad applicandam et movendam virtutem completam causæ secundæ ad actualem operationem. Quarto, quia alias in operibus liberis, præsertim bonis, homo qui non reciperet hoc com-

plementum virtutis activæ, non haberet simpliciter potestatem ad agendum, et sic non imputaretur ei non agere aut non velle, quod dici non potest.

5. *Unde inferunt esse aliquod medium inter actum primum et secundum.*— Et hinc inferunt istum concursum prævium non tenere se ex parte principii proximi actionis vel effectus causæ secundæ, neque etiam ex parte actus secundi, seu actionis causæ secundæ, sed esse veluti quoddam medium inter utrumque actum. Primum patet, quia quidquid se tenet ex parte principii activi, sive constituendo, sive complendo illud, pertinet ad actum primum, ut cum proportione videre licet in specie visibili, vel in habitu, et similibus; ergo. Secundum satis est declaratum in dubio tertio et sequentibus, quia hic concursus prævius totus est a solo Deo, et in re est omnino distinctus ab actione et effectu causæ secundæ; ergo nullo modo pertinere potest intrinsece ad actum causæ secundæ, ita ut sit aliquid illius, vel ejus inchoatio. Et inde concluditur pars tertia a sufficienti partium enumeratione, et explicatur in hunc modum, quia hic concursus, cum sit ultima motio primæ causæ, partim respicit et actualiter juvat actum primum ipsius causæ secundæ, non quidem dando illi vim agendi, sed movendo illum, et actualiter ad opus applicando, ita ut efficaciter illum faciat operari: partim respicit actum secundum, quia cum illo immediate et necessario conjungitur, et ita est quasi nexus inter actum primum et secundum, et ideo dicitur quasi medium inter illa duo extrema ab utroque distinctum.

6. *Ex hoc dissidio inferunt non esse necessarium prævium illum.*— Hoc ergo modo inter se pugnant hujus prævii concursus defensores, neque sine merito, nec sine magna rationum efficacia, unde (ut ita dicam) inter eos bellum justum geritur, data hypothese de necessitate concursus prævii, in qua inter se conveniunt. Existimo tamen, rationibus utriusque partis simul sumptis, hypothese illam everti, et talem præmotionem, in causa secunda necessariam non esse, sufficienter convinci, quia nec actus primus nec secundus esse potest, nec inter hæc medium convenienter cogitari potest.

7. *Hujus dubii solutio pendet ex alia questione.*— Non possumus autem, ad resolutionem hujus dubii, discursum ad eam ostendendam necessarium exacte complere, ac declarare, nisi prius aliud dubium de modo quo talis concursus prævius ad actionem causæ se-

cundæ concurrere cogitatur, vel cogitari potest, expediam. Et ideo de hoc puncto dicam prius, postea ad præcedens revertar.

8. *Altera quæstio: quomodo concurrat ad actionem et effectum causæ secundæ.*— Decimo ergo inquiritur an hic concursus prævius concurrat effective ad actionem et effectum causæ secundæ, tanquam principium per se, an solum tanquam conditio necessaria quæ sit veluti causa per accidens. In quo puncto auctores primæ sententiæ, tractatæ in præcedenti dubio, aperte supponunt motionem præviam per se et proprie efficere cum causa secunda effectum, imo et actionem ejus, et ideo dicunt dari per modum principii et actus primi, respectu actionis causæ secundæ. At vero, juxta alteram sententiam ibidem tractatam, videtur potius dicendum illam præviam motionem esse quamdam conditionem necessariam ad actionem causæ, et non aliter concurrere proprie et per se ad illam; ita enim facile intelligitur non esse actum primum nec secundum, sed medium quoddam, quia est conditio quæ inter illos actus necessario intercedit.

9. *Videtur concurrere tantum per modum conditionis necessariae.*— *Prima ratio, quia est tantum ad agendum.*— Deinde potest hoc suaderi, primo, quia illa præmotio in agentibus ex necessitate naturæ, solum requiritur ut per illam applicetur ultimate et quasi intime causa secunda ad agendum, ut ita moveat mota, quia aliter movere non potest: applicatio autem agentis ad agendum solum videtur esse conditio necessaria ad agendum, non principium per se, ut constat in applicatione ignis, et in motibus cælorum, et instrumentis artis, ut aliis locis, de illis tractando, late declaravi. Ergo idem dicendum est de illa applicatione, quia non possumus nos judicare de applicatione illa quam sensibus non experimur, nisi juxta illas quas experimur, nec assertores illius applicationis aliis exemplis illam nobis declarant.

10. *Secunda ratio, quia est tantum motio.*— Secundo, quia ille prævius concursus non creditur agere et influere in effectum causæ secundæ tanquam actio in intrinsecum terminum, nec tanquam forma quæ det causæ virtutem agendi, sed tantum per modum motionis; ergo non influit in effectum causæ secundæ tanquam principium per se. Antecedens quoad primam partem necessario admitti debet a dictis auctoribus, quia ponunt distinctionem realem inter concursum et actionem causæ secundæ, et saltem in agentibus natu-

ralibus fatentur esse rem indubitam: actio autem non distinguitur realiter ab intrinseco termino, ut etiam ipsi fatentur, et est principium quasi per se notum a Philosophia; ergo ille concursus non influit in actionem causæ secundæ, eo modo quo actio influit in terminum intrinsecum. Quoad secundam vero partem, supponitur antecedens, juxta opinionem secundam tractatam in præcedenti dubio. Consequentia vero probatur, quia non videtur posse intelligi alius modus influendi per se in effectum aliquem, nisi aut per modum principii, aut per modum actionis intimæ et immediatæ ipsi termino; ergo tertius ille modus per modum motionis solum esse potest per modum causæ per accidens, seu conditionis necessariae.

11. *Tertio, hoc non pugnat cum perfectione concursus primæ causæ.*— Denique non est contra perfectionem influxus et concursus primæ causæ, quia, juxta istorum auctorum sententiam, multis modis influit in actionem causæ secundæ, scilicet, dando virtutem agendi, conservando illam, applicando illam, et utendo illa tanquam instrumento ad dandum esse in virtute primæ causæ, ex quibus modis, primus et secundus, respectu effectus causæ secundæ, sunt per accidens. Ergo similiter in tertio modo, licet Deus per se influat in causam secundam per se efficiendo in illa dictam motionem, per quam applicat illam ad agendum, nihilominus, respectu actionis et effectus causæ secundæ, poterit illa applicatio esse necessaria tantum conditio. Nam in quarto includitur concursus per se causæ primæ in effectum causæ secundæ, et ille sufficit, quia in uno genere causæ primæ una sufficit.

12. *Altera opinio, concurrere effective tanquam causa operationis causæ creatæ.*— *Quomodo id probet Ledesma, non satis efficaciter.*— *Explicatio major sententiæ Ledesmae.*— Nihilominus Ledesma, in suo tractatu, docet concursum prævium concurrere ad operationem causæ secundæ effective, tanquam veram causam ipsius; ita habet art. 6 ad 1. Et ad confirmationem sexti argumenti, dicit potentiam per habitum elevatum efficere actum per divinam motionem, quæ est virtus divina. Et art. 3, concl. 3, expresse dicit concursum prævium non tantum requiri ut conditionem necessariam, sed etiam ut concurrat, et causet ipsam operationem causæ secundæ; additque illam esse sententiam D. Thomæ, et omnium discipulorum ejus. Idem repetit articulo 11, respondendo ad argumenta in principio. Et in

utroque loco me graviter reprehendit, quod in *Metaphysica*, et libro 3 de *Auxil.*, dixerim aliquos Thomistas ponere illam præmotionem tantum ut conditionem necessariam. Quod autem concurrat illa motio tanquam vera causa efficiens per se necessaria ad operationem causæ secundæ, ipsa non probat, nisi quia vel Deus facit ut causa secunda operetur, vel quia illa motio vocatur influxus Dei, et virtus divina ad agendum effectum causæ secundæ, quæ verba non significant tantum conditionem necessariam: sed hæc probatio parum urget; tum quia modus ille loquendi, *Facit ut faciamus*, longe alium sensum habet in Scriptura et Patribus, ut ostendimus in libro quinto, tractando de auxilio gratiæ efficaci, ad quod maxime locutio illa applicatur; tum etiam quia jam dixi motionem esse posse per se a Deo movente causam secundam, et influente in illam, licet respectu effectus causæ secundæ motio illa tantum esset necessaria conditio. Quod autem illa motio sit virtus divina ad agendum effectum causæ secundæ, affirmatur ab illo auctore et aliis ejusdem sententiæ, non tamen probatur, nisi forte argumentis factis cap. 27, de quibus postea dicemus. Unde idem auctor, in dicto art. 41, ad argumenta, fatetur præmotionem, quantum ad hoc quod est prædeterminare causam secundam, solum esse conditionem necessariam, quia non dat (inquit) virtutem et efficaciam ad operationem, utique secundum dictam considerationem, licet sub alia, scilicet, ut concurrat effective ad ipsum actum, sit causa per se, quod an recte dictum sit, statim dicam. Pergit enim idem auctor, et dicit præmotionem illam, ut influit in actionem causæ secundæ, non distinguere ab auxilio imbibito in actione causæ secundæ, in quo sibi contradicit, nisi intelligat influxum emanantem ab illo concursu prævio, non distinguere ab actione creaturæ, quod verum est: ab ipso autem concursu prævio necesse est realiter distinguere, ut supra probatum est, ideoque dici non potest concursum imbibitum, verbi gratia, in actu charitatis, non distinguere ab auxilio prævio prædeterminante, sicut non potest dici non distinguere ab habitu charitatis, vel a voluntate, vel a Deo, nam unus et idem est cum habitudine ad omnes illas causas, seu principia, quæ omnia ideo adverte, quia declarant satis quam obscura et implicata sit hæc sententia, cum illius defensores nec satis illam explicare, nec juxta illam satis consequenter loqui valeant. Unde dictus auctor supra concludit, *hoc esse obscurum mysterium*

fidei, quod est intellectui difficillimum. In quo tacite censuram adhibet, supponens sententiam suam ad fidei dogmata et mysteria pertinere. Nos autem inter fidei mysteria hoc non agnoscimus, maxime in generali puncto de concursu prævio omnibus causis secundis necessario, quod punctum mere philosophorum est, et nullius mysterii fidei est fundamentum, et explicandum est ut admitti debeat.

13. *Magis consequenter dicitur illam præmotionem concurrere effective.* — Non potest explicari necessitas illius conditionis, quam prima sententia afferebat. — In hoc ergo posteriori puncto, supposita necessitate prævii influxus in causam, mihi videntur probabilius, et magis consequenter loqui, qui affirmant præmotionem illam effective et per se concurrere ad actionem causæ secundæ. Moveor præcipue, quia, remota causalitate per se, nullam video probabilem necessitatem talis conditionis, nec quomodo intelligi aut explicari possit, nedum suaderi. In quo adverte hoc nomen conditionis sine qua non, generale esse posse et speciale. Nam, generaliter loquendo, omne principium necessarium ad actionem, etiamsi per se influat in illam, potest dici conditio necessaria, ut lumen vel species ad videndum, et calor in aqua dicitur etiam conditio necessaria ad calefaciendum, quia nomen conditionis de se est quasi transcendentalis, quod de omni qualitate, proprietate, vel circumstantia dici potest; ergo in illa generali significatione, quidquid est necessarium ad actionem, potest dici conditio necessaria, seu, quod idem est, conditio sine qua non. Aliter tamen communi usu philosophorum, ac subinde propria significatione philosophica, conditio sine qua non habet specialem significationem, diciturque quasi privative de tali conditione, quæ, cum necessaria sit, per se tamen non influit in effectum. Unde quoties aliqua forma, vel entitas est necessaria ad effectum propter causalitatem per se, quam in illum habet, non dicitur proprie conditio sine qua non. Et in hac significatione, calor non dicitur conditio sine qua non calefacit aqua, sed dicitur esse principium per se calefactionis, sine quo aqua non potest calefacere. Nec in calore potest distinguere duplex ratio, una sub qua sit conditio sine qua non, in dicta proprietate, et alia in qua sit principium per se influens in calidum, quia tota necessitas ejus est propter activitatem quam per se habet: potest tamen in illo distinguere duplex causalitas; una formalis, respectu aquæ, altera efectiva, respectu alterius

caloris; sub neutra tamen dicitur proprie conditio sine qua non, respectu calefactionis manantis postea ab aqua calida, quia calor illam informans est illi necessarius, non ut quæcumque conditio, sed ut principium per se influens in talem calefactionem. Imo nec prior calefactio per quam aqua fuit calefacta potest dici proprie conditio necessaria ad posteriorem ab aqua calida manantem, sed est via qua principium calefaciendi acquiritur, neque habet aliam rationem conditionis necessariæ.

14. *Quod explicatur amplius in calore aquæ calefacientis.* — Sic ergo in proposito cum proportionem philosophandum censeo, nam si calor aquæ indiget nova præmotione Dei ad calefaciendum lignum, ipsa præmotio considerari potest, vel respectu caloris aquæ in quo subjectatur, vel respectu calefactionis ligni. Nam priori modo formaliter afficit calorem, seu aquam, ut calidam, et denominat illam motam vel ultimate actuatam, vel aliquid ejusmodi. Imo in hac etiam prima habitudine potest influxus ille considerari ut est in fieri, et ut sic est mutatio quædam, et dicitur propria præmotio aquæ; consequenter vero etiam habet aliquem terminum factum suo modo, juxta dicta in dub. 6, et sic est qualitas efficiens et dans calori certum formalem effectum nobis innominatum, quia ignotus est secundum propriam rationem, et ideo generaliter denominabit præmotam applicatam, vel alio simili modo, ut dixi. At vero respectu calefactionis manantis ab aqua calida, præmotio illa habet habitudinem causæ efficientis, seu principii necessarii ut aqua calida actu calefaciat, juxta illam sententiam.

15. *Idem applicatur in hoc casu actioni causæ secundæ.* — Dico ergo præmotionem illam, secundum hanc posteriorem habitudinem, non posse habere connexionem necessariam cum actione causæ secundæ, nisi sit necessaria ad per se influendum in illam. Quia si talis præmotio sub priori ratione consideretur, nimirum, ut formaliter afficit vel immutat causam secundam, non potest esse illi necessaria ad agendum, nisi talis præmotio sit etiam effectrix proprie et per se actionis causæ secundæ, et propter talem efficientiam ad effectum causæ secundæ sit necessaria. Nam seclusa hac habitudine, nulla ratio necessitatis in tali præmotione respectu actionis causæ secundæ cogitari potest; non est enim satis dicere esse conditionem necessariam, nisi necessitas illa declararetur, ejusque ratio aliqua proferatur, quod haecenus a nullo defensore illius opinionis fac-

tum invenio. Et, nisi fallor, hoc probat efficaciter discursus a me factus in lib. 1 de *Auxil.*, cap. 6, ubi ostendi nec per nomen applicationis, nec præmotionis, aut excitationis, talem conditionem aut necessitatem ejus explicari posse. Solum invenio datam esse postea distinctionem de duplici applicatione: una est extrinseca, quæ in corporibus fit per localem propinquitatem cum ablatione sensibilium impedimentorum: in potentiis vero animæ fit per objecti propositionem, aut cogitationem, et de hac dicuntur procedere omnia quæ de applicatione ibi dixi, quia propter illam non ponitur esse necessaria hæc præmotio primæ causæ. Alia vero applicatio dicitur intrinseca, et quasi immediata inter facultatem activam et actionem suam, et hæc dicitur necessaria omnibus causis secundis prius natura quam eliciant actionem suam, et solum fieri posse a causa prima.

16. *Quomodo intelligenda sit applicatio ad agendum.* — Verumtamen, si proprie de applicatione physica et reali loquamur, non intelligitur proprie nisi inter res existentes: ad rem autem futuram non fit nisi per propositum, vel destinationem animi. Applicatio ergo causæ secundæ, in actu primo constitutæ, ad actionem suam, si intelligatur esse tanquam ad rem jam existentem, non fit nisi agendo, ac subinde eliciendo actionem ipsam, ideoque formaliter non fit nisi per actionem ipsam; hæc per seipsam fit, in quo ejus esse consistit, et ideo, sicut ipsa non applicatur agenti (ut sic dicam) nisi per seipsam, vel per immediatam habitudinem ad illud, ita e converso agens non applicatur hoc modo ad agendum, seu ad actionem ut existentem, nisi per illammet, utique eliciendo illam. Si vero applicatio intelligatur ad actionem, ut futuram in tempore, vel saltem ordine naturæ, tunc, supposita omni applicatione passi vel objecti, quæ vocatur extrinseca, nulla alia applicatio media physica et propria, necessario intercedens inter principium agendi et actionem, intelligi potest, sed tantum moralis per animi propositum, vel destinationem, quæ habet tantum locum in his potentiis animæ quæ habent inter se naturalem subordinationem, ratione cujus una imperat alteri, seu movet et applicat illam ad proprium actum; qui modus applicationis non solet fieri per impressionem alicujus entitatis vel motionis factæ in potentia inferiori mota, sed solum per naturalem subordinationem, vel sympathiam ad potentiam superiorem moventem. Igitur talis appli-